

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

In Evangelii verbo præscripsit, ut mala vitemus, & ex adverso virtuti studeamus: ha sunt vestes acu pictæ, quibus spiritualem sponsam ornatam esse, Regius Propheta asserit, Psal. 45. v. 14. Quodlibet igitur ipsi morem gesserimus, Rex nos tandem introducet in cubiculum genitricis suæ, Can. 3. v. 4. ut sponsa ipsius simus in sempiternum, Of. 2. v. 19.

Eiusmodi præclarum exemplum habemus in prælecto Evangelio, ibi Christus Apostolis suis, nobisq; omnibus varia ritæ regulas commendat, quas studiosè animadvertere, & vitam nostram iis exornare debeamus. Propterea quoque absque prolixiori præfamine illud aggrediemur, & ex instituto nostro ex eo delibabimus:

- I. Αἰθαπελογιαν sive notitiam nostri.
- II. Χριστορωσιαν sive notitiam Christi.

J. J.

## Exegesis.

Quemadmodum illis, qti in collegium opificum adsciscuntur, certa statuta & leges præscribuntur, quas observare coguntur, qui tribus suæ privilegiis frui volunt: Sic Christus cœlestis Magister & tribanus noster, postequam nos in beatum Electorum ordinem adoptavit, certas leges nobis præfixit, & in diebus carnis suæ identidem repetivit, ut inter alia præsens Evangelium probat, quod propterea Christianorum regula non inconcinnæ appellari potest. Quainvis enim ex instituto legem prædicare non deberet, sed propterea unetus & missus esset, ut prædicaret captivis liberationem, & vincit apertione carceris, Esa. 61. v. 1. attamen quoque non venit solvere legem, sed adimplere, Matth. 5, 17. Ideoq; utrumque respexit, & ut scriba do-

ctus ad regnum cœlorum, de thesauro suo vetera & nova protulit, Matth. 13, 52.

*Notitiam nostri* hinc studere possumus, quando meditamur:

I. Seriam misericordie commendationem. *γένεσις ἡ γενετικὴ, εὐτοεί μετά της γένεσις*, estote ergo misericordes, ait Servator, sicut & pater vester misericors est. Quod ipso ejusmodi misericordiam requirit, quæ viscera quasi commoventur, & cor ad amorem & benevolentiam proximi inflammatur.

Hæc virtus illa est, quam Deus omnibus sacrificiis præponit, dicens: Misericordiam volo, Of. 6. v. 6.

Ubi hæc virtus abest, caritas nulla est. Qui habuerit substantiam hujus mundi, 1. Joh. 3. v. 17. Ubi caritas nulla, ibi quoq; fides non est, fides enim per caritatem efficax, Gal. 5. v. 6. Ubi vero fides non est, salus nulla est. Impossibile enim est, sine fide placere Deo, Hebr. 11. v. 6. Ideo merito admonet Christus: Estote misericordes, & quidem, sicut pater vester misericorsest.

In quibus verbis, non corvos Eliæ, 1. Reg. 17. v. 4. seqq. neque leones Danielis, Dan. 6. v. 22. neque canes Lazarini nobis proponit. Sed nec exemplum Hiobi, Job. 29. v. 12. 15. Emedmelech, Jer. 38. v. 9. Obadiæ nobis commendat, 1. Reg. 18. v. 4. Verum Deipatris cœlestis, & ita nos omnes relegat ad arborem misericordiæ, cuius proceritas non modò contingit cœlum, ut arbor, quam Nebucadnezar in visione vidit, Dan. 4. v. 8. sed per omnes cœlos, Esa. 40. v. 12. in fines terræ, Psal. 48. v. 11. Ut breviter dicamus, ostendit nobis patrem misericordiarum, 2. Cor. 1. v. 3. De quo Siracides cum admiratione querit: *Quis adjiciet enarrare misericordiam ejus?* Misericordia hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei su-

Dominica IV. post Trinitatis.

254

per omnem carnem. Sir. 18. v. 4. 12. quantum enim ipse, tanta est ejus misericordia, Sir. 2. v. 22. Etsi enim altitudinem, profunditatem, longitudinem & latitudinem misericordiae divinæ attingere non possumus: cō tamen contendere debemus, quantum in infirmitate nostrâ fieri potest, ut ejusdem typo nos assimilemus. Sequimini misericordiam, ait Salomo, Prov. 21. v. 21.

Hic probet se unusquisq., utrum misericordia erga proximum studuerit, sicut cœlestis pater exemplo suo nobis quotidie præhucet?

Hoc parum observatur, plurimi secum cogitant:

Quod me non tangit, hoc me nullatenus angit.

Sive gaudent de proximi incommodis, dicentes: Euge, euge, viderunt oculi nostri, Psal. 35. v. 21.

Deus cœlestis pater demonstrat misericordiam suam:

I. Universaliter, quando solem suum facitoriri super bonos & malos: & pluit super justos & injustos, Matth. 5. 45.

Idem nos quoq; facientes, non modò misericordes sumus, erga notos, familiares & consanguineos: sed & erga peregrinos & inimicos quoq;. Ideo Christus ait: Omni potentite, tribue, Luc. 6. v. 30. Et Salomo: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum pane, Prov. 25. v. 21. Hec vera est proprietas misericordiae, ut non respiciat personam proximi, sed Dei mandatum. Quod si proximus indignus sit, cui largiamur, mandatum Dei dignum est, cui obediamus: si homo non retribuit, Dominus retribuens erit, qui omnia bona remunerat, Sir. 35. 13.

Attamen omnia ordinatè fieri debent. Certenim hic gradus observandi sunt, ju-

xta quos misericordiae opera præstanta veniunt. Hinc consanguinei præ alienigenis; domestici fidei præ heterodoxis; pii præ improbis; noti præ peregrinis juvandi sunt. Horum inopiq; si consultum est, deinde & exteris, ignotis imò inimicis quoque, nisi vires deflent succurrendum est. Sicut Christus ipse non adeo probat, si omissis parentibus, in alios beneficia nostra collocemus, Matt. 15. v. 3.

2. Realiter, nam sicut dolet super miseriis populi sui, Jud. 10. v. 16. ita etiam media ad salutem eorum procurat. Novit enim pios de temptatione eripere, 2. Pet. 2. v. 9. idèo attribuuntur ei viscera misericordiae, Luc. 1. v. 78. Pari modo non modò commiserationem habeamus cum proximi miseriis, sed pro virili eundem adjuvemus, exemplo Samaritani, Luc. 20. v. 33. Jac. 2. v. 15. 16.

3. Finaliter, Misericordia enim ejus, à progenie in progenies, timentibus eum, Luc. 1. v. 50. Sic quoq; nos bonum facientes non defatigemur, si aliquando metere velimus, Gal. 6. v. 9. Misericordes enim misericordiam consequentur, Matth. 5. vers. 7. Ubi contrà judicium sine misericordiâ illis, qui non fecerint misericordiam, Jac. 2. v. 13.

II. Ne vorum proximi condonationem, Dimitte enim, inquit, & dimittetur vobis. Dum domi sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, 2. Cor. 5. 7. 6. Via qua ingredimur est lubrica & cœnosa, ob multa scandala & mala exempla, quæ facile obscurant bona, Sap. 4. v. 12.

Sicut itaque comes viatorius, alteri facile ignoscit, cum ab eo inquinatur: ita nec nos offendit debemus, si à proximo operibus vel factis lœdamur: sed nocenti nobis

bis relinquamus, Sir. 28. v. 2. Ne sol absee-  
dat testis furoris nostri, ut Lactantius loqui-  
tur, quando ceu irreconciliabiles ad vindic-  
tam proclives sumus. Ne dicas, quomo-  
do fecit mihi, sic faciam ei, & reddam uni-  
cuiq; secundum opus suum, Prov. 24, 29.  
Qui enim vindicari vult, à Domino inve-  
niet vindictam. Sir. 28. v. 1.

*Hic velim examines te, an ad prescriptam  
regulam, proximo offendenti, si veniam de-  
licti à te petierit prompto animo ignoveris?*

Hæc doctrina pernecessaria est. Si enim  
dimiseritis hominibus, Matth. 6. v. 14, 15.  
*A proximo nobis incommodari potest trifaria-  
m. 1. Quoad corpus, uxorem & libe-  
ros. 2. Quoad famam. 3. Quoad fortuna  
bona.*

Quodsi itaque contingit, ut à nebulone  
in proprio corpore lœdaris, vel planè vitâ  
priveris, sive in uxore & liberis injuriam  
experiaris, certissimè statue, quod Deus ipsi  
id permisericit, sine cuius permissione ne-  
gry tibi nocere potuisset, Matth. 10, 30. noli  
verò timere eum, qui corporis occidit, sed po-  
tius eum, qui potest & animam & corpus  
perdere in gehennam, Matth. 10. v. 28.

Quodsi calumniis oneraris, & famæ pe-  
riculum incurris, perpende, quid Seneca  
dicat: *Qui tibi detrabit, aut verum dicit, aut  
falsum. Si verum, quid miraris? si falsum,  
ad te non pertinet.* Et responde cum So-  
crate: *Michi non maledicis, quandoquidem  
ea, qua dicis, mihi non adsunt, nec in me ha-  
rent.* Beati estis, cum maledixerint vobis  
homines, Matth. 5. v. 11, 12.

Quod si ratione bonorum temporalium  
defraudaris, & eorum jacturam facere co-  
geris: memento, esse bona transitoria, &  
vicissitudini fortunæ subiecta, quæ olim  
non habueris. Ideoque nec illa tanti fa-

cere debes, ut te ad iram irritari conce-  
das. Nihil intulimus in hunc mundum,  
haud dubium, quia nec auferre quid pos-  
sumus, 1. Tim. 6. v. 7.

Quid sunt divitiae & opes? nil nisi vo-  
mitus fortuna, ut Diogenes dicere con-  
suevit. Sicut igitur nemo facile come-  
dit, quod alius evomuit: sic opes mun-  
danæ non adeò curare debemus. Argen-  
tum & aurum non valebit nos liberare in  
die furoris Domini, quin potius scanda-  
lum iniquitatis est, Ezech. 7, 19.

His fideliter perpensis, facile ad man-  
suetudinem commoveberis, præsertim,  
quando is, quite inuriâ affecit, veniam  
dicti petit.

Hæc mansuetudine præditi fuere: Jose-  
phus, Genes. 50. v. 19. David, 2. Sam. 16.  
v. 5. seqq. & Christus ipse, Luc. 22, 50. 51.  
Luc. 23. v. 34.

Horum vestigiis & nos insistere debe-  
mus. Non vosmet ipsos vindicantes ca-  
rissimi, sed date locum iræ, Rom. 12.  
vers. 19.

Apis scipiam vindicatura, cum aculeo  
vitam amittit: idem evenit homini vindictæ  
cupido: qui non modo vitam sibi abbre-  
viat, sed & iram & penam Dei sibi attrahit,  
& salute excidit. Qui enim odit fra-  
trem, homicida est, & non habet vitam  
æternam in seipso manentem, 1. Joh. 3, 15.  
sed pars ejus erit in stagno, ardenti igne &  
sulphure, Apoc. 21. v. 8.

III. *Judicii preposteri detestationem*, de  
quo Christus ita ait: Nolite judicare, &  
non judicabimini. Nolite condemnare, &  
non condemnabimini.

His verbis non interdictur magistratus,  
quod minus facinorosos & maleficos judi-  
cit & condemnet. Non enim hominis exer-

cet judicium, sed Domini, 2. Chron. 19. v. 9. Nec sine causâ gladium portat: sed vindicta est in iram ei, qui malè agit, Rom. 13. v. 4. Ecclesiæ quoq; Doctoribus mandatum est, ut judicent inter arietes & hircos, Ezech. 34. v. 17. Quinimò omnes in genere Christiani spiritus probare debent, 1. Joh. 4. v. 1. & scrutari scripturas, si hæc ita se habeant, Act. 17. v. 11. Sed *judicium temerarium* hæc prohibetur, quando proximi infirmitates & errata nimium exaggerantur, & divulgantur, sine omni respectu caritatis, quā tegere ea fas erat, & propriæ infirmitatis, quod nemo sine crimine sit, Job. 15. v. 15. Psal. 32. v. 6.

*Hic velim perscruteris te, Annon proximum præter decorem traduxeris, quod ipsi opprobrio & damno cedere possit.*

Thales unus ex septem Græciæ sapientibus, interrogatus, quodnam difficillimum & facilimum esset, respondit: Difficillimum est, scipsum nosse: facilimum verò alios arguere & judicare. Quod reipsa ita se habere, in proposito est. Sicut enim erunt præcordia fœtentium, & sicut perdit inducit in caveam, & ut caprea in laqueum, sic & cor superborum. Sir. 11, 32. 33.

Eiusmodi sanè homines nondum notitiam sui didicerunt, secus enim à temerario iudicio illi desisterent, sunt enim & ipsi

1. *Homines.* Homo verò, uti exhumus est, sic & in humum redigetur, Sir. 40. v. 11. Quid verò superbis terra & cinis, proximum judicando, quasi ex meliori luto finisset sibi præcordia Titan? Nemo ex Regibus aliud habuit nativitatis initium, Sap. 7. v. 6. Ideò nemo ob dona & bona sibi concessa superbire debet, sed potius humilibus se accommodet, Rom. 12. v. 16. aliosq; superiores arbitretur, Phil. 2. v. 3.

2. *Peccatores,* qui sæpè in majori culpâ hærent, quam proximus, quem judicant. In multis enim offendimus omnes, Jac. 3. v. 2. Et non est justus, ne unus quidem, Rom. 3. v. 12. Ecce inter sanctos ejus nemo integer, Hiob. 15. v. 15. 16. Quis igitur es, qui alium judicas? Neque enim prærogativam præ alio habes, cur non vides mantica, quod in tergo est? Hypocrita ejice primum trabeum de oculo tuo, & tunc perficies, ut educas festucam de oculo fratris tui. Matt. 7. v. 12.

3. *Ad lapsum proclives.* Justus in die septicies cadit, Prov. 24. v. 16. quoties putatis, impius? Toties sanè ut delicta ejus intelligi non possint Psal. 19. v. 13. Didicit enim malum, ideoque benefacere non potest, sic ut nec æthiops pellem suam mutare, Jer. 13. v. 24. Quam facile fieri potest, ut in lubricâ hujus vitæ viâ labaris? quam facile mala exempla bonum corrumpere possunt? Quod itaque proximo accidit, & tibi contingere potest, considera te ipsum, ne & tu tenteris, Gal. 6. v. 1.

4. *Judicabiles.* Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, 2. Cor. 5. v. 10. ubi unusquisque nostrum, pro se rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 13. Ideoq; nemo ante tempus judicet, quoadusq; veniat Dominus, 1. Cor. 4. v. 5.

Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat & cadit, inquit Apostolus, Rom. 14. v. 4. An nescis tibi ipsi grave judicium impendere? Quodsi itaque proximum tuum malitiosè judicas, quomodo effugies iram Dei, in die iræ, Rom. 2. v. 5. Opus igitur tuum ipsius proba, & mitte a lios, unusquisque enim onus suum portabit, Gal. 6. v. 4.

5. *Damnabiles.* Dei enim munus invadunt,

dunt, & sic crimen læsa Majestatis committunt, quod & in hoc mundo capitale est. Drey R. gebühren Gott allein / Rühmen/Richten/Rechten stell ihm heim. Unus est legislator & judex. Jac. 4.v.12.

In V. T. nemini nisi Sacerdotibus sacrificia offerre licebat, alius si id tentabat, debitâ pœnâ afficiebatur, ut exemplis, Core, Datan, & Abiron, Num. 16. v. 32. & Usiæ patet, 2. Chron. 26.v.19. Sic neq; illi impunes abibunt, qui proximum judicant, & sic Dei jura violent, Dominus enim judicat populos, Psal. 7.v.9. Nolite prouide detrahere alterum, fratres mei! Jac. 4.v.10.11.

### De Secundo.

PERGEMUS nunc ad alteram partem, *χριστιανούς*, sive notitiam Christi mediaturi. Hic nobis contemplandus proponitur:

I. *Tanquam magister noster fidelissimus*, Non est discipulus super magistrum suum: perfectus autem omnis erit, si sit, sicut magister ejus. Nos nullum alium Magistrum novimus, nisi Christum solum, Magister vester unus est Christus, dicit ipse, Matth. c 23.v.16. Joh. 13.v.13.

Sicut itaque *Magister aliquis quotidie in schola docet*, & discipulis fideliter inculcat, quid facere debeant: Sic & *Christus scholam suam habet*, quæ est ecclesia, nam erat docens quotidie in templo, Luc. 19. v. 47. Habet quoque *discipulos suos*, qui sunt omnes Christiani, qui in baptismo ipsi nomen dederunt. Si permanseritis in sermone meo &c. Joh. 8. v. 81. Nihil autem aliud in hâc scholâ docet, nisi *pietatem*, & quæ ad eam pertinent, nempe fidem, dilectionem, humilitatem, spem, patientiam & similia, in quibus discipulis suis exemplo suo præavit.

Hincipit ait: Discite à me, quia misericordia sum, & humilis corde. Matth. 11.v.29.

Palamedes olim tanto elogio à Discipulis suis honorabatur, ut ipsum πάρεστον appellarent. Sed multum ei defuit! Maximum eorum quæ scimus, est minimum eorum, quæ ignoramus. Cognoscimus hic ex parte, 1. Cor. 13.v.9.

De Christo ex re & verô dicere possumus, quod sit πάρεστος, idèò appellatus θεοῦ χριστός & πάτερ, Sap. 7.v.21. in quo spiritus sapientiae & intellectus requiescit, Esa. 11.v.2. & omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi Col. 2. v. 3. In ipso omnia, quæ ad salutem nobis necessaria sunt, invenimus, unde Veteres dixerunt:

Omnia nos Christi, vita docere potest.

Reliquit enim nobis virtutibus suis exemplum, ut insistamus vestigiis ejus, 1. Petr. 2. v. 21.

Alexander Magnus felicem se existimat, quod Ariftotelis discipulus esset. Quanto magis nos gaudeamus, quod Christum Magistrum habemus, qui nos docet utilia, Esa. 48. v. 17. & licet castiget nos, non tamen morti nos tradit, Psal. 118. v. 18. Sed diligentibus Deum omnia in bonum operantur, Rom. 8.v.28.

Maneamus itaque obsequentes Christi discipuli, & apprime caveamus, ne ad Satanam synagogam declinemus, qui suos nihil nisi peccata docet, & exercet in viis anfractuosis peccatorum, dum præcipitet in barathrum æternæ damnationis, Apoc. 2.v.9. Christus verô scholam suam frequentantibus promittit requiem animarum, Matth. c. 11. v. 29. h. e. pacem & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14. v. 17. quod incipit, hic in regno gratiarum, ubi gustamus, quam bonus sit Dominus, Psal. 34. v. 9. Eccl. 5. v. ult. Ibi

Kk verô